

singis influxus, nobis etiam occultus sensus rationis iudicio est in-
dagandus. Quanquam enim adversus hunc siderum influ-
 xum potissimum soleat objici, quod juxta observationes
 Astronomicas constitutum habeatur, Planetas, à quibus ta-
 lis influxus maximè derivatur, esse corpora opaca, telluri
 nostræ similia; Nihil tamen obstat, quo minus materiæ cu-
 jusdam subtilioris effluxus in hæc inferiora nostra propage-
 tur. Uti enim quotidie deprehendimus, vapores ex no-
 stra terra exurgere, & ad magnam usque ætheris plagam
 ascendere, qui licet graviores sint ob admixtum humorem,
 nihilominus tamen propter suam subtilitatem in tantam e-
 levantur altitudinem ut oculis sæpe nostris eripiantur.
 Quod si ergo ex corpore nostræ telluris terrestri tanta vi,
 tantaque efficacia vapores exire possunt, qui diversas in
 aere ac sphaera superiori mutationes operantur; Quidni
 etiam corpora siderum astra possent exhalare effluvia,
 licet modum sæpe ignoremus, quæ in sphaera nostra infe-
 riori simili modo motus quosdam & effectus possint produ-
 cere; Siquidem in connexa illa elementorum compage,
 ob contactum illum superioris & inferioris harmonicum,
 talem quasi perpetuam rerum naturalium ac humanarum
 circulationem, non absurde liceat concipere. Conf. Joh.
 Jonston *Thaumato-graph. natur. cap. 3. seqq.* Ex hoc proinde
 aere, per continuos cœli influxus temperato, cum viva-
 mus & quotidie ducamus spiritum, non possunt non inde
 varii motus in corpore humano contingere, prout particu-
 læ tales æriæ se insinuantes variè corpus afficiunt, & pro
 diversa sanguinis atque machinæ structura suas operatio-
 nes naturales producunt. Add. Clariss. Dn. Buddeus in
Philosoph. Theoret. Tom. II. Part. 3. cap. 3. Ut hinc motus
 isti corporei sæpius ad mentem transeant, & inde
 quodammodo in actiones hominum morales influant.
 Quod tamen juxta optimum monitum Joh. ab Indagine
 in *Introd. apotelesmar. cap. de Astrol. p. 125.* intellectum volo,
 qui *l. cit.* ait. *Primum omnium moneo, nihil urgere in nos astra,*
 sed